

Alcaf. Apoc. f. 70. Apud *obsessos* olim maximo cum A fructu usurpatum esse hunc Psalmum, ex *Aban-nasio* refert *Quistorpius* b. l.

EXPLICATIO VERSUS I.

מומר שיר :) vide *Psalm. LXV*, 1.

EXPLICATIO VERSUS II.

יָקוּם *surget* :) possunt hæc sumi tam *indicative*, uti vult *Junius & Piscator*, ut efferatur, quid consequi soleat surrectionem vel processum Dei contra hostes, quam *optative*: exurgat; sic uti habet *Valgatus, Pagninus, Lutherus*. quod posterius convenientius, ob parallelum *Num. X*, 35. ubi est imperativus קוּמָה *surge*. Sic namque per futurum exprimi non raro solet hicce modus; ut *Psalm. XIX*, 15. יְהוָה יִרְיֵי *sint*: *Psal. XX*, 2. רַעְיֶךָ *exaudiat te*. &c. **SURGENDI** autem verbum Deo infinito ac immutabili tributum, designat peculiarem ejus manifestationem, quando instar regis hæctenùs quietè intuentis aliorum casus, tandem ad bella se accingit, opemque pressis suis subditis laturus, è foliò quasi *urgit*. Vel quando instar militis auditâ tubâ mox proruit. Ubi simul auxilii innuitur facilitas, quod solâ Dei surrectione adeò conturbentur hostes, ut mox diffugiant, &c. q. d. digitum saltem moveat, vel: pede terram concutiat, actumque mox erit &c. Hujusmodi loci sunt *Amos. VII*, 9. *Jes. xxx*, 2. 1. *Sam. XXII*, 8. *Psal. III*, 8. *XII*, 6. *xxxv*, 2. *XLIV*, 27. Ex collatione autem *Num. X*, 35. constat, eadem hîc à Davide iterari verba, quibus olim Moses precari solebat Deum, quando proficisci vel moveri incipiebat arca. Ex quò non pauci colligunt, compositum esse huncce Psalmum à Davide, cum arcam transferret in civitatem suam. Quæ ipsa arca typus fuit Messia indubitatus: *Rom. III*, 25. ita *Calovius, Vinarienses, Belgæ*. Malè autem hinc inferri à Socinianis, nomen *Jehova* tribui arca, ostendit *Gerhardus* exeg. p. 636. *Calovius* theolog. nat. pag. 292. seq.

יִפְּצוּ *dispergantur* :) in fugam scilicet dati, validoque perculli terrore, ut nullibi vires instaurare queant amissas, vel in unum rursus coire. Sic verbum hocce solet usurpari de dispersis gregibus, *Jer. xxiii*, 2. glumis, *cap. xiiii*, 24. fugitivis coram victore, *cap. xviii*, 17. vide *Psalm. xviii*, 15.

אֹיְבָיו *hostes ejus* :) nimirum, non qui immediatè Deum, quem ne unquam viderunt, odiò prosequuntur, verùm qui infensi sunt, ejusdem populo vel ecclesiae, eamque modis omnibus infestant atque premunt. Atque sic egregiè David causam populi facit causam ipsius Dei, quòd de ejus controvertatur gloriâ ac territorio, non de populi. confer *Act. IX*, 4. quid me persequeris?

וַיִּנוּסוּ *diffugiant* :) verbis ferè synonymis repetitur res eadem, majoris nempe emphaseos causâ, majoremque ob certitudinem vel accelerationem. Fuga autem hæc capienda est non de evitatione præsentiae divinæ, cui nemo se potest subtrahere; sed animi abiectione, nec non conatum priorum intermissione.

אֶפְּסֵי אֶפְּסֵי *à facie ejus* :) nimirum iratâ, merasque velut flammam in hosce fugitivos ejaculante. Similem anthropop. vide *Psalm. ix*, 4. 20. *XXI*, 10. *xxxiv*, 17. *Ll*, 11.

EXPLICATIO VERSUS III.

כִּהְנִיחָהּ *secundum propelli* :) h. e. quâ ratione dispelli solet fumus, oculos acredine suâ mordens, densò agmine ex doliò picatò vel per fumarium se in altum extollens, ipsum veluti solem obfuscaturus; quem tamen prorumpens aura diffilat facillime, nullumque ejus relinquit vestigium superstes. Est hæc forma, *infin. Niphal* inulitata, composita quasi ex Kal נִרְחַף & *Niphal*, cujus character נִ. (ita *Buxtorf. thes. gramm. p. m. 116.*) Alia composita hujusmodi formationis exempla attulimus *Psal. VII*, 6. & *XLV*, 3. *Niphal* autem h. l. esse, comprobatur sequens וַיִּלְחֶם *liquefieri*. Verbum ipsum נִרְחַף *dispulit, disjecit*, sicuti hîc de fumò, ita *Psalm. I*, 4. de glumis, *Jes. xli*, 2. de stipulis usurpatur: adeoque talis innuitur eliminatio, ubi וַיִּנְכַּח *non amplius ipsum, vel aliquid de re eliminatâ, manet residuum*: *Jes. XIX*, 7. De fumò vide *Psal. xxxvii*, 20. & *Hof. XIII*, 3.

תִּנְחַם *dispelles* :) nempe hostes, versu præcedente memoratos. Plenè fuisset cum affixo תִּנְחַם *propelles eos*. Similis elliptica locutio *Hof. IV*, 12. spiritus fornicationis seduxit, scilicet eum: *Psal. LXXVIII*, 28. וַיִּפֹּל *cadere fecit* in medio castrorum ejus, scilicet eam volucem, &c.

וַיִּנְכַּח *secundum liquefieri ceram* : h. e. quomodo cera frigore indurata non patitur se flecti, igni vero admota colliquescit, & instar aquæ diffluit: ita fiat quoque induratis nostris hostibus, ut animo concidant, tractabilesque pœnarum æstibus tandem fiant. Eadem hæc ceræ similitudo de corde *Pf. xxii*, 15. & de montibus, *Pf. xcvi*, 5. *Mich. I*, 4.

אֶפְּסֵי אֶפְּסֵי *à facie ignis* :) h. e. propter ignem, nomen אֶפְּסֵי redundat; vel præsentiam ignis metaphoricè denotat. Accentus *athnach* vim hîc suam amittit, ob præcedens *merka compositum* in voce תִּנְחַם. Quapropter talis est connexio: sicut liquefcit cera ab igne, (sic) pereant impij à facie Domini.

EXPLICATIO VERSUS IV.

וַיִּצְדִּיקוּ *justi vero* :) fide scilicet adherentes unice surgenti Domino, *vers. 2.* adeoque vitâ ac moribus fidem suam demonstrantes, vel justitiæ habituali operam seriò navantes.

וַיִּשְׂמְרוּ *gaudeant, exultent* :) est hîc asyntheton. De verbò עָלַץ quod significantius est, quam שָׂמַח *gavisus fuit*, consule *Psal. V*, 12.

לִפְנֵי *ante faciem Domini* :) h. e. sicut in V. T. coram Arcâ, ita in N. T. in locò cultûs divini publicò. Elegans antithesis impiorum, qui אֶפְּסֵי *à facie Dei* contremiscunt, *vers. 3.* & piorum: qui לִפְנֵי *ante faciem Dei* intimè gaudent ac triumphant.

וַיִּשְׂשֻׁוּ *oblectent se* :) vide *Psal. XL*, 17. Cumulantur hîc verba affinia, ad exprimendum gaudii ardorem, continuitatem, multiplicatam, restaurationem, &c.

EXPLICATIO VERSUS V.

וַיִּשְׂרֹחוּ *cantate Deo* :) h. e. in Dei honorem: vel laudes Dei sonorâ hilarique voce promulgate. Non enim sufficit, mente meditari aut quadantenus assequi divina axiomata ac beneficia,